





A

XXVII

~~XXX.4~~

TOLL

JACOBI TOLLII,

Gymnasiarchæ Goudani,

ORATIO
DE
PACE,

Inter Sereniss. Britanniæ Regem Carolum II, & Præpp. Fœderatæ Belgicæ Ordines conciliata.

Ex Auctoritate AA. DD. Scholarcharum postridie Nonas Septembreis, eopse reddita proximis maribus pacis die, habita Goudæ in Batavis, Anno CIↃ IↃC LXVII.


Sophocles Ajace:

Σὺν τῷ δικαίῳ γὰρ μέγ' ἔξεστι φρονεῖν.

Cum jure enim spirare magnum nil vetat.







GOUDÆ,
Ex Officina CORNELII DUYVOORT,
Anno CIↃ IↃC LXVII.

Illustri, Magnifico, ac Generoso Viro,

D. FLORENTIO CANT,

Reip. Goudanæ Senatori ac Consuli: eoque nomine maritimis quondam rebus in Amstelædamensi Collegio præfecto: ad Consessum deinde Illustriss. ac Præpotentium D. D. Ordd. Generalium Fæderatæ Belgicæ, Hollandiæ item ac Westfrisiæ Delegato: Literarum Humaniorum cultori, & Literatorum Mæcenati unico,

JACOBUS TOLLIUS S.P.D.

Solebant veteres, siquando Deorum imagines corollis essent ornaturi, nec earum possent contingere fastigium, ponere serta sua ante statuarum pedes: & debito Diis cultu defunctos hoc pacto sese existimantes, & imbecillitatem suam cum prolixa voluntate testati. Quam tibi, Vir illustris, pro immensis in me meosque collatis beneficiis gratiam, & quos honores debeam, nemo, qui modo utrumque nostrum noverit, ignorat. Patere igitur, ut hoc tam levidense munusculum, meæ in te gratæ mentis qualecumque indicium, pedibus tuis subjiciam: ubi adolevero, fortassis, & in virum crevero, daturus capiti coronas, tuis procul dubio meritis longe inferiores; eas tamen, quas a devoto cliente recepisse tibi turpe non fuerit. Vale Lucidum nostræ Reipublicæ Sidus, & quo me hactenus animo suscepisti, fove.

JACOBI TOLLII ORATIO DE PACE.

Strenuissime D. Prætor; Ampliss. Prudentiss. D D. Consules, Scabini, & Senatores hujus urbis Magistratus; Consultiss. Spectatiss. D D. Curatores; Reverendi Vigilantiss. Pastores; Doctissimi cujuscunque facultatis Doctores atque Magistri; Honorandi Collegæ; Quotquot porro adestis indigenæ, advenæ, dignitate, natalibus, eruditione, aut virtute conspicui Auditores; Tuque Florentissima studiosæ Iuventutis Corona, parentum patriæque spes & columen.



UO die Libertas Græciæ memorabili ad Chæroneam prælio concidit atque concisa est, Philippum Mac. adeo callide victoriæ lætitiam dissimulasse ferunt, ut victorem illum nemo sentiret, nemo exsultantis in illo animi deprehenderet indicium. Quum lætis acclamantis populi vocibus personaret æther; quum accensis odoribus templa fumarent; quum cumulatis passim hostiis gemerent altaria; quum conviviis & epulis omnium ædes perstreperent; & festis ignibus collucerent urbes: non ipse Rex solita sacra fecit; non risit in convivio; non ludos inter epulas adhibuit; non coronas sumpsit, non unguenta. Astutus Macedo victi licet populi, potentis tamen adhuc & validi captabat benevolentiam, ut incautos, nihilque tale metuentes

tuentes arctiori servitutis vinculo impediret, & jugum tandem imponeret, quod ne reciperent, toties cum Persis, aliquoties cum ipso fuerat bellatum. Bellum nobis cum Anglis fuit, Cives, longe gravissimum, & utrique genti victæ victricique pariter perniciosum. Post alternatas clades & mutuas cædes itum tandem est in fœdera & leges Pacis: sic tamen, ut quæ Pars pacem pertinacissime negaverat, dum accisis deinde sub ipsis oculis rebus avidius arripit, victam se fateri, & ultro herbam porrigere videretur. Cujus insperatæ gloriæ lætitiam adeo non sibi ficta simulatione nostri Proceres obnubilandam censuere, ut tanto potius impense magis ostendere & aperire satagant, quanto gloriosius est, & magnificentius, libertatem tueri, quam pessumdare; quanto pax honesta injusto bello præferenda est, propter quam bellum geritur, & nos tantum sanguinis effudimus. Est quidem ille in omni victoria sollemnis mos, ut fortunam partium ignium late refulgentium splendore victores emetiantur; usurpatus & a nobis, &, ne nos cum Philippo aliquo contulisse pedem existimaremus, ab Carolo, etiam quum vinceretur. Sed deërat ille quasi exsultantium linguarum mucro: & retusæ omnium voces non victoriam aliquam decantare, sed exposcere pacem videbantur. Confecta

nunc,

nunc, nunc confirmata Pax est: &,quod omni nobis pace majus est, erepta Britanno gloria, posse se pacem dare. Liceat præfiscini dixisse, Pacem nostra nobis cum Deo virtus, & haud adversis cedens animus adquisivit. Pacem igitur omnia crepant: pacem cantus plaususque civium præferunt: pacem privatarum ædium, pacem templorum convexa resonant; pacem omnium animi cogitant; pacem vigilantes; pacem in somniis amplectuntur. Insidet omnium vultibus ingens & una hilaritas: privatos dolores publica dispungit felicitas; & ebriæ gaudio mentes lætitiam refundunt. Auget aviditatem copia: quamque plus bibere, tam magis sitiunt, nec satiantur. Non capiunt, qua perfundi se sentiunt voluptatem: & omnis ætas, uterque sexus, ad accendendos ignes Felicitati Publicæ æmulatione mutua accenditur. Præcipiunt enim animis, & haud frivolis inducti argumentis augurantur, stabilem fore posthac pacem, & æternam, quam post exitiale cum Cromwellio bellum variis male fotam reconciliationibus inde sacra fames auri, & alieni inexpleta libido, hinc indignatio, nihilque libenter de suo largiens parcimonia abruperat. Fœda res & pudenda dictu: duo populi arctissima quondam devincti amicitia, uniusque in Divini Numinis

cultu, tot inter variantes hominum opiniones, sententiæ concordia ad constantem & indissolubilem, ut videbatur, sincerissimæ societatis copulam adstricti, obliti pristinæ amicitiæ, obliti fœderum, obliti divinarum humanarumque necessitudinum, tamquam divinitus alienata mente, in mutuas repente conspirant cædes, & in sua pæne viscera parricidiale stringunt ferrum. Juvat animum respicere spatia præteriti temporis, & avorum nostrorum acta diligentius revolvere, ut excussis tantorum malorum caussis, initiis, & progressibus liqueat tandem, quid hoc bello, quid hac pace decoris & gloriæ, quid utilitatis & commodi Patriæ nostræ partum sit & adquisitum. Jam fessus curis Carolus Hispanici regni habenas, & quidquid in has sibi terras imperii fuerat, Philippo filio transdiderat: &, ut erat cautus & prudens princeps, cum his dederat monita, ne liberos Belgicæ spiritus arctius comprimens in suam suorumque perniciem cogeret erumpere. Jam hic senilibus Patris contemptis præceptis, contra præscripta patriæ, & datam jurejurando fidem, exteros milites, & in quorum naturam, quanto facie Belgæ propior, tanto moribus concesserat, Hispanos induxerat. Jam Libertati gentis innoxiæ meditabatur exitium: quum immissi in plebem

bem procereſque Quæſitores, dirum genus, qui in omnium animos inquirerent; qui ſecretos cordium excuterent receſſus; qui ſeciores de Deo, Deique cultu, ſevere vindicarent opinationes. Rapti ad quæſtiones & eculeum viri, feminæ, pueri, ſenes: nullum ætatis diſcrimen, nullum ſexus. Non imperatæ noxiis fugæ; non reis exſilia permiſſa, niſi quæ cautiores anteceperant; non in convictos more majorum animadverſum: ſed repræſentata gentium infidelium ſupplicia, & exquiſitæ mortes: Damnati paſſim ad ignes; ut ignea ſcilicet vis animæ flammeo curru ſubiret aſtra, atque illic inter cognatos ignes emicaret. Ambuſta & ſemitoſta miſerorum cadavera objecta canibus; ut quod inſatiabilis ignium voracitas abſumere negaverat, impudentiſſimorum animantium conficeret ingluvies. Vivi homines effoſſis ſpecubus immiſſi ſepultique, ut quorum liberimos ſpiritus non minæ, non verbera, non tormenta potuerant coërcere, reprimeret ac cohiberet mortiferus naturæ carcer, & interclusa vitalis aura refrenaret: ut ora ſemper in aſſertionem veri, ſemper in Divinæ Gratiæ præconium patentia injecta deſuper terræ gleba clauderet, obturaretque. Permittebat ſimplex populus tantorum ſcelerum & immanis crudelitatis vindictam ſupremo Numini, cujus

res agebatur: furentemque tyrannicæ gentis barbariem, si non æquis oculis, animis saltem quietis adspectabat. At ubi detracta tandem Religionis emendandæ larva libertatem ab Albano peti, proculcari, quæ vocant, privilegia, adeoque id agi vidit, ut ab antiquissimis usque temporibus libera suique juris ac imperii Belgica in provinciæ formam redacta gentis alienæ pateret dominationi, consulendam virtutem pristinam, & Romanis olim metuendam Imperatoribus existimavit; & consuluit: tantisque animis avitæ libertatis ultionem arripuit, ut Anglorum Regina Elisabetha (qua multis retro seculis femina excelsioris ac generosi magis animi non fuit) miserta laborantis populi, & ex adversis fortiter eluctantis, certatim submitteret auxilia, & armis, viris, nummis renascenti libertati subveniret. Plausibilis hæc & popularis Reginæ benignitas, tantisque scriptorum celebrata præconiis, ut numquam intermoritura videatur, utinam fuisset plena, neque magna ex parte commodasset sibi! Non potuit, non potuit scilicet exuere penitus feminam, quæ virum pæne induerat. Natura etenim femineo sexui ingeneravit metum, & cum metu custodiendi diligentiam: cujus dum utriusque apud Reginam ratio constat, habent Angli quod loquantur, habent quod taceant. Magna res

est,

eſt, fateor, quum inopinatus & periculoſus ignis aliena tecta depaſcit, libenter accurrere, & officioſa manu proſerpentem ſedulo reſtinguere: ſed perit idem meritum, cum proximus ardet Ucalegon, & ex imminenti par & commune periculum intentatur: quodque in longe ſummoto maximum fuerat beneficium, fit in vicino neceſſitas. Quis Danorum æquo ferat animo gloriantem Batavum, ſe Danici alterum conditorem Regni, ſe collapſi Regii decoris inſtauratorem, quum etiamnunc ſub immenſo contracti ſuppetiis illis perſolvendis æris alieni pondere gemant, & infeliciter in noſtram gratiam tentati belli fortunam deplorent? Ille demum magni fuiſſe animi; ille ſolida beneficia contuliſſe cenſendus eſt, non qui ad commoda quæque ſua metitur, ſuiſque ſervit utilitatibus; verum qui nullo recalcitrantis fortunæ reſpectu territus miſerorum ſublevat ærumnas, qui contemptis imminentium malorum minis ſociis amicisque fideliter ſuccurrit, & pro tanta ſibi fide, proque tanta benignitate, nihil umquam deberi patitur. Atque hæc tua ſi fuiſſet mens, Elizabetha, ſi hic tuus in propugnanda patriæ noſtræ libertate fuiſſet animus, non conceptum capta Antverpia fœdus, & numquam a te pie ſervatum in tam longe aliam poſtea fuiſſet ſententiam mutatum, ut obſtrictos haberes

Batavos, ipsa cum tuis ab omni libera fores præstatione. Imputasti, imo supra modum imputasti stipendia, dilectus, vecturas, aliaque belli onera: & ad octuagies centena florenorum millia productum acerbius aliquando exegisti debitum, quam ab Amica & Socia Regina par & æquum erat. Tacebo Brilam, Flissingam, & castellum Walachriæ Zeburgum, his expensis oppignerata; & suspectos Leicestrii conatus, ne maximis Reginæ laudibus obtrectare velle videar, silentio præteribo. Illud mihi tantum memorandum incumbit, multis ab illo tempore fœderibus conjunctos Anglos Batavosque, contractamque amicitiam, cujus æternitatem nostri jam tum sibi polliceri videbantur. Confirmavit deinceps hanc opinionem propulsata communibus viribus, & in fœdam pars abacta fugam, pars capta submersaque classis Hispanorum: cujus fiducia Parmensis ipsam sibi suove regi Britanniam destinabat. Jam vero Gaditana cæteræque expeditiones, submissa continenter auxilia, & inexplicabile semper bellum, animi quiddam in se fraterni & unius habebant. Succedens Elizabethæ Jacobus, ut cum hoste nostro pacem, ita nobiscum semper amicitiam coluit: & ubi ille vita functus, paternis insistens vestigiis Carolus, collocata Principi nostrati Arausionensi filia, an-

tiqua fœdera renovavit. Multa possent mutuæ benevolentiæ recenseri argumenta, quibus tanquam sigillis æterna inter hasce gentes videretur consignata societas. Voluit supremus rerum Arbiter ostendere, voluit palam facere, quam nihil hic firmum aut stabile, quam omnia fallaci & ad nutum suum ruituro ponderi inniterentur. Exarsere tantis in nos odiis Angli (quid Anglos dico? fratres nostri) ut in comploratum & confessum nostræ Libertatis interitum duratura viderentur. Illæ ipsæ manus, quæ ab jugulis nostris Hispanorum mucrones avertærant, & succedentes Hispanis, eorumdemque hebetatos impetus mutatis vicibus redintegrantes e Germania Austriacos retuderant: illæ, inquam, salutares quondam manus fauces nostras premere non dubitaverunt. O rem prodigiis adnumerandam! Hi, qui quondam nobiscum arma sociaverant, in nos eadem converterunt, ut nostra destruerent. Hi, quorum majores ingentes sumptus, & grandes pecuniarum acervos erogaverant, ut rem nostram publicam augerent ditarentque, ut partas a nobis tanta cura, totque sollicitudinibus atque periculis opes devorarent, indixere bellum. Hi, qui civilibus bellis extorrem patria, regno, fortunis omnibus a nobis Regem, & (qualis esse sub justo rege potest) libertatem receperant, eumdem illum

regem ſtimulare non deſtiterunt ut in nos primum reſtitutas vires exerceret; ſæviret in captivos, ſtrenuiſſimum quemque fraude, cæteros fame, ferro, peſte, circumveniret & exſtingueret. At hanc quidem animi exiliis efferati truculentiam nulla tacebit ætas: tamque immane facinus non a Carolo, ſed a prioris Caroli trucidatore Cromwellio perpetratum poſteri contendent. Sed unde petitæ belli cauſſæ? aut e quo armamentario tela deprompta ſunt? quod initium armorum tantum non civilium, & funeſtæ diſſenſionis? Imaginarius viduatæ ſuo cuſtode reip. Anglicanæ Protector, cum ſceleſtiſſimo, & parricidiali ſanguine imbuto grege ſanguinem ſitiens, implere in ſcena mimum non poterat, niſi, quæ deërant, ornamenta invalidis tunc temporis, & gravi inteſtinorum morbo laborantibus vicinis extorqueret. Et ut eſſet, quod magis indignarentur homines, titulum & ſpeciem voluit homo innocentiſſimus, ne injuſto videretur Amicos bello laceſſere, tamquam ad aram Juſtitiæ regem optimum mactaſſet. Pudet eloqui, & fatendum tamen eſt, neque licet rem manifeſtiſſimam diſſimulationis involvere tenebris, variis ſubactos cladibus concedere coëgit invitos, quod a volentibus impetrare nequiverat. Tam facilem de tam valida, tantæque famæ ac nominis gente victoriam, quæ per octoginta

ta ſecum annos bellanti leges prope præſcripſerat Hiſpano, ſuperbiſſimus excepit faſtus,& qui faſtum individuus conſequitur comes, devicti populi contemptus. Quid? quod & aliæ nationes, & illi ab ſuo ſeptemtrione ferociam ſpirantes Sueci elanguiſſe antiquam Batavorum robur, & exſtinctam jacere fortitudinem, parum aberat quin ſibi perſuaderent. Auſi tentare fortunam maris, & (o dedecus!) claſſe nobiſcum congredi, ut pedeſtri deinceps bello nos perdomarent. Ignominia ſæpe acuit virtutem: & ſalutare quandoque fuit aliorum expoſitum fuiſſe ludibrio. Caſtigata demum illorum temeritas, & fracti non maritimo tantum,ſed quo invictos ſe crediderant, terreſtri bello conatus, docuerunt alios, quam parum tutum eſſet in potentiores inſolenter inſurgere, quamque parum in elata atque arroganti ſuperbia foret præſidii. Revireſcere exinde Batavæ ſtrenuitatis gloria, & tamquam reciſa ad radicem uſque fruteta novos emittere laudis duraturæ ſurculos, qui mox in eximiæ magnitudinis arbores excreſcerent. En! acuit iterum Invidia dentes, & ſe cum Avaritia conjungens in floreſcentis exitium conſpirat. Hoc unum deërat nobis, Batavi, ut Anglorum cupiditatem armorum noſtrorum reverentia reſtringeret. At quis ultra ingenitam genti ſuperbiam, & incitantis iterum Inimici dolos, fortunæ

 prio-

prioris recordatione intumescentes nostri respectus deterreret? Abactæne priori bello naves petitis ab utroque sole mercibus onustæ? num in fugam nostræ classes conjectæ, captæ, depressæque? num post immensam omnis generis opum rapinam expressa nautici apparatus impendia, & extorta in redemptionem belli haud mediocris argenti summa? Hæccine erant, quæ quiescendi Britannis consilia suggererent? hæccine erant, quæ nos metuendos; hæcne, quæ ab inhiantium tam paratæ, ut existimabant, prædæ rapacitate præstarent immunes? hæccine erant, quæ Regem ab exsilio reducem, omniumque rerum necessariarum indigum, & amicos Regis famelicos retinerent, ne in uberrimum copiæ cornu avidas immitterent manus, haurirentque, quo vitalia jamjam tentaturam famem sedarent & explerent? Quid? numquid non & feræ bestiæ, carentiaque rationis animalia, fame dominante, ad eum plerumque locum, ubi aliquando pastæ sint, revertuntur? Toties igitur Britannus nobis hostis, quoties inops: nec umquam bellare cupienti caussam prætexere facile non fuit. Animum advertistis, Batavi; & eo conspiratius ivistis ad arma, quo discrimen majus erat. Obstupuit ipse ad concursantium classium fragorem Pater Oceanus, & devolutis tonitrubus, lateque relucenti fulgure misceri maribus cælum, cæloque terras confundi, & in antiquum omnia re-

dire

dire Chaos existimavit. Ipsa illa Batavorum constantia intremuit: nihilque sibi timendum rata albuit Albion metu. Fugati primum; dein victores; postmodum dubio marte discedentes, & victis propiores quod discedebamus; ad postremum tamen victricia ultro intulimus arma, & in suis hostem sedibus quæsivimus, deprehendimus, afflixumus. Hic dies solidam nobis pacem dedit, quo in stationibus exustæ naves hostium, ignes ignibus redditi, & Rex eo deductus angustiarum est, ut timens pallensque, ut extrema belli metuens dedecora tam cupide in Pacis fœdera descenderet, quam illa nuper superbe respuerat. Hic dies annuis nobis hilaritatibus, hic festis ludis celebrandus est, quo nos Angli habere despectui dedidicerunt; quo Britannia, ad veri timoris adacta confessionem, cæteras Europæ nationes coëgit confiteri, Esse Batavos invictam terra marique gentem, custodem recti, æqui justique violatores coërcentem; ubi non lacessitur, numquam impugnantem; ubi impugnatur, strenue jus suum libertatemque tuentem; & cum succumbere videtur, tum se demum erigentem; adeoque longe lateque minas terroremque circumferentem, ut quo fama nomen tulerit adesse & inhærere jammodo repugnantium jugulis videatur. Hoc die interrupta cum exteris, cum propinquis, cum longinquis commercia

mercia restituta sunt; hoc jura nostra confirmata: hoc die demum non liberi renuntiati, sed libertas mihi nostra constabilita videtur. Quid assertam Guineam, & auriferos Africæ tractus commemorem? quid salvas in Indis amplissimas possessiones, nervos ac sanguinem nostræ reip.? quid aperta liberaque maria, quæ vel columnæ Herculis, vel Arces impositæ coartant? Navigatur iterum Oceanus, regionesque, quæ vel viciniore tepent sole, vel quas sævus & nimio frigore rigens adurit septemtrio, ab intrepidis adeuntur: & quidquid ubique gentium, quidquid in remotissimis terrarum oris gignitur, commeantium ultro citroque Batavorum industria tantâ copiâ invehitur, ut apud nos natum esse videatur. Absurdum videtur, nec est tamen, inter mutatas Indorum merces & Sinensium murrhina, inter Erythrei maris spolia, & odores Arabum, fetentes haleces adnumerare. Hic nobis certissimus ex hostili paullo ante, nunc amico mari reditus: hic penus profundus & inexhaustus, innumera hominum millia continuatis pascens alimentis: hic inæstimabilis thesaurus auriferis potior metallis, & ditibus argenti venis luculentior. Quis non laboriosæ gentis miretur industriam, in alieno salo parantis, quod ab accolis frustra quæritur? Labor, labor, & ille quidem improbus,

nec

nec ulla renitentis fortunæ contumacia delaſſandus vincit omnia, ipſamque pariter, etiamſi extra illa omnia, naturam. Hinc exiguis circumſcripta limitibus regio, & magna ſui parte vel aquis interſciſſa, vel nigrantium ceſpitum voraginoſo ſolo recedens, vel arentibus ſterilium arenarum collibus infecunda, omnis ſexus ætatiſque hominum infinitam ac innumerabilem alit multitudinem: & quæ in patria quæque ſua non invenerant, queis vitam tuerentur, exteris quoque præbet nationibus alimenta. Quæ ſi jure merito admiramur, & tacitis cogitationibus ſuſpicimus, ſtupeamus profecto neceſſe eſt ad illarum præcipue gentium nigerrimam invidiam, quarum incolis, in graviſſimis bellorum procellis omnium quandoque fortunarum paſſis naufragium, non portum tantum & refugium ſæpe præſtitit tutiſſimum; ſed tamquam indigenas & cives ſuſcepit fovitque. Quanta nobis igitur, o Batavi, gaudendi materies; quanta ſeges lætitiæ & exſultationis, quum ſcævo livore tactas nequidquam ſeſe videamus cruciare, & ab omni conſilio ac ſanæ mentis ſobrietate deturbatos, quaſi noſtra illis felicitas adhiberet tormenta, ſæviſſimis mœroris ſtimulis, ſed fruſtra, ſed incaſſum exagitari? Hic dies horribiles tam iniqui odii tenebras non occaſura claritate fugavit; & oriens noſtræ gloriæ malignas

& improbas invidentium ſpes coëgit occidere. O candidum diem! o meliore ſignandum lapillo temporis momentum, quod graviſſimis nos intricatos anguſtiis tam feliciter expedivit! quod jamjam titubantes ut in æternum collaberemur, non retinuit modo & confirmavit; ſed tanto robore mactavit, erexit, elevavit, ut cum bonò Deo caſum tam periculoſum haud amplius vereàmur. Repetamus animis pericula, quibus ſimus defuncti: revolvamus cogitationibus, in quibus ſimus verſati, & quæ nos diſcrimina verſaverint. Quo cum hoſte confliximus? quocum adverſario nos fortuna compoſuit? num cum degeneri? num cum viribus impari? Teſtantur maria noſtro pariter & hoſtili ſanguine purpurantia: & fluitantia paſſim cadavera, quam cum non imbelli fuerit hoſte pugnatum, aperte ſatis indicant. Magni ſtetit hæcce felicitas: carius tamen; ſi res ita popoſciſſet, emenda. Hinc terrebat Süecus, in omnem paratus occaſionem, intentuſque; &, ni melior Deus obſtitiſſet, turpis ad inſtar urſi collabentis reip. ſanguinem exſucturus. Inde Monaſterienſis Antiſtes, armis gerendis quam ſacris curandis aptior, incautos & ab illo ſibi hoſte minimum metuentes vulnere pæne lethifero debilitabat. At hunc contracta quidem undique Sociorum auxilia, & reſtitutæ militari Gallorum diſciplina copiæ noſtræ compeſcuere. Sed lon-

longe nobis adversus Anglos in partibus Gallus Danusque. Hunc confessa infirmitas exemit discrimini: illum seu semper Liliis adversus aquilo, sive dissimulata imbecillitatis conscientia retardavit. Nostra igitur nobiscum Socii virtute fruuntur; & anceps bellum hoste ne quidem viso confecerunt. Quod si recte rerum omnium momenta contuemur, si æquâ singula lance perpendimus, tam prosperis nos Divina benignitas beavit successibus, ut vota superaverint: & cum ostendere vellet, quam sibi essèmus chari, segregavit rejecitque Socios, ne in uberrimam, quam nobis destinaverat, gloriæ messem suas illi falces immitterent. O inexhaustam Bonitatis copiam! o humanæ mentis captum superantem Gratiam! Vincere nos voluit, & solos vincere. Jö, Jö Deus Opt. Max. tu nos ab insolenter insultante vindicasti adversario: tu dolosum & vaferrime adrepentem rejecisti insidiatorem: tu inimicum jam animo nos & oculis devorantem adeo non explere voracitatem permisisti, ut moriendum sibi fame præsentiat, & in propria viscera rabidos acuendos dentes, ni paratior esca objiciatur. Ite nunc igitur triumphatores hostium fortissimorum Batavi, & divini favoris inæstimabile munus indefessa gratiarum actione prosequimini. Suspendite in sanctissimis vestrarum mentium templis vera,

nec ullo fallacis simulationis fuco oblita, grati animi donaria. Ne fulgens aurum dicate: ne splendida lapillorum donate munera: ne nitentes date margaritas: ne redolentia Sabæorum adolete thura: sed æqui justique tenaci insistite proposito; benefactis invidiam superate; & afflictis succurrite. Sic jugis erit cum vestro vobis Deo pax; & quam diu perennis cum Deo, tam diu perpetua cum bene vel male volentibus amicitia, aut certa victoria. Solent successus plerumque prosperi leves inflare animos, & vana gloriæ titillatione delectatos ad summum sæpissime fastus efferre fastigium, ut tanto deinde turpius inde deturbentur, quanto sese ridentis fortunæ blanditiis incautius permisere. Non ex antiquorum petita temporum annalibus exempla suggeram; non ex diversarum gentium historiis deprompta documenta ponam ob oculos; non in ipsa hostium diligentius inquiram monumenta, ut & ita ex hoste proficere discatis: Sed tu, tu mihi, Mater Batavia, testis eris, quam levi momento res florentissimæ, & ipsam supra fortunam quasi evectæ, collabantur & pessum eant. Cohorrescis etiamnunc, scio, illa ipsa gravissimorum periculorum, quæ quandoque adiisti, recordatione: & ad nomen Flandrici prælii; ad hostium sub Comite Bergio in Velaviam irruptionis

ptionis commemorationem; ad obsidii Trajectensis fragorem, & minantis Papenhæmii tonitrua, tamquam in ipsis etiamnunc versarere discriminibus, contremiscis. En tibi amplissimas in America possessiones, cum omnia viderentur ex voto fluere, ab Lusitano ereptas: en Formosam nuperrime, (& a quo hoste?) ademptam: quodque vix apud minores nostros fidem merebitur, a Monasteriensi nuper Præsule non ingens tantum illata tibi clades est, sed tam fortiter hactenus propugnatæ Libertatis certissima pernicies, excidium, interitus, non ostentata, sed ingesta; non imminentia sed præsentia; non effugium secum aliquod trahentia, sed indeclinabilia: ni recta prudentis Antistitis consilia sapientior humanarum rerum moderator Deus in pravum detorsisset & ex ipsa proditoris Schulenburgii malitia insperatam tibi salutem fabricasset. Itaque te Lacedæmonii Chilonis moveat præceptum: &, si quæ nocuere docent, tantis docta malis insolentem tuarum virium fiduciam abjice, remove, repelle. Nescis, ut in excelsa subvecti loca subitâ, nisi caveant, vertigine corripiantur, seque in exitium præcipitent? Sed haud fas est tam auspicatis initiis male ominari: dicenda sunt bono die bo-

na verba, & favendum linguis eſt. Vive igitur, Mater, & diu felixque vive: vive ſemper tua, ſemper tota, ſemper una. Concordia res parvæ creſcunt, & in unum conjunctæ faſciculum ſagittæ haud facile franguntur. Quæ dum tu ſapientium Regum dicta factaque aſſidue uſurpas, continuato uſu feciſti tua. Sertorianus miles, utut validus & juvenili fretus robore, univerſas equinæ caudæ ſetas evellere nequivit, quas ſingulas abſque negotio feſſus ætate & defectus viribus ſenex carpſit. Quid illa revoco? quin ipſa tibi priore bello fuiſti exemplum: & quid in utramvis partem concors animus aut pertinax diſcordia valeat, & tunc experta es, & nunc oſtendiſti. Fertur maritali thoro viduata Semiramis ſumpta virili veſte mentita ſexum, ne ſolertia partum regni decus naturæ vitio cogeretur relinquere: Tu viriles indue curas, ne tot fortiſſimorum virorum capitibus, tot ſtrenuorum civium ſanguine redempta libertas feminea tibi pereat ignavia. Libera Maſſilienſium civitas ſolemni Floraliorum die per amicitiæ ſpeciem inter vina & epulas pæne capta, claudere exinde portas feſtis diebus, agere vigilias, ſtationes in muris diſponere, peregrinos recognoſcere ſolita, & in omnes intenta belli curas pacis tempore fuiſſe

per-

perhibetur. Prudentiſſimus ille, qui in pace bellum, in bello pacem; qui cum Hannibale non minus in ſecundis adverſa, quam in adverſis ſecunda cogitat. Tum demum, Mater, carebis periculo, ubi te numquam ſecuram eſſe credideris; &, quæ etiam tuta, timueris. Circumſtant te a fronte, a tergo, a lateribus aperti hoſtes, inimici tecti, infidi focii: omnes cum fortuna vultum mutaturi; & quo illa ſe inclinaverit, eodem immani pondere incubituri: ſed lubentiſſume in te. Te petunt, tibi nectunt laqueos, tuæ imminent libertati. Sunt, qui te in juſtum conjugium; ſunt, qui in pellicatum velint: ſed & pellicatus probro plenus, & conjugium moleſtum eſt. Una igitur cavendo ſalus: & ni cauta fueris, etiamſi Lucretia ſis, invenies Tarquinium. Nec plura providam monere neceſſe eſt: & ad vos iterum mihi, Batavi, convertendus ſermo eſt. Eſt illud magnis motibus familiare, ut non repente conſidant; & turbatum validis tempeſtatibus mare non ſtatim cum ſilentibus ventis conquieſcit: ſed in altos etiam tunc fluctus attollitur; ſenſim deinde ac pedetentim minas remittit, placaturque. Quod ſi igitur neque vos irarum fluctus eveſtigio poteſtis componere, ſi æſtuantis animi necdum valetis ſedare motus; quod maria quamvis perturbatiſſima fertur tranquillare,

mentes vestras serenet oleum: non illud quidem e sudantibus arborum corticibus defluens, non ex coëcervatis seminibus extortum, non ex pinguibus baccis expressum: sed ex pristinæ benevolentiæ & antiquæ concordiæ fontibus ebulliens. Satis jam diu bellatum est: jam satis diu tentatæ vires, & quid in armis possetis, ostensum. Jungite rursus dextras, & cum dextris animos: quique vel animi vel dextræ in omnem intentæ noxam, in omnem inferendi damni, calamitatis, perniciëi occasionem arrectæ promptæque fuere, depositis simultatibus mutua procurent commoda; ad restituenda conspirent commercia; eoque propensiores sint & alacriores ad redintegratam tuendam amicitiam, quo cautius in rediviva & ex inimicitiis in gratiam revocata, quam in continuata & nulla corrupta offensione amicitia vitandæ suspiciones sunt. Longum foret & ineptum, Cives, pacis hic recensere commoda, tot eloquentissimorum virorum facundia decantata; & ingenti verborum volubilitate longeque quæsitis ambagibus idem dicere. Ite vos modo, & lætos lætis animis ignes accendite: Ite, & vestra, quibus estis damnati, vota solvite; & ex antiqua formula lubentes meritoque solvite. Vivet illa, quam

vester vobis Deus contulit, gloria: vivet in omnem memoriam posteritatis, vigebitque cum vigente mundo, nec ante marcescet, aut exarescens interibit, quam hæc omnis, quam cernimus, undarum cælique & terræ compages destinatis sibi divinitus ignibus dissolvetur. Numerabitur deinceps inter celebratissima vestræ fortitudinis monumenta obsessus Tamesis; & illatus Londino terror in victoriarum vestrarum titulos referetur. Clarissima ingenia, & in gloriam nata hujus sæculi exercebunt hic vires suas: & erit altera vobis pugna, erit certamen aliud, utrum vos animosius tantas res gesseritis, an illi eloquentius conscripserint. O terque quaterque beatos, quibus tali licet æmulatione, tamque honesto inter se studio decertare! o decus incomparabile! quam optatum multis, & quam paucis concessum! Omni tamen alio decore speciosior, & omni alia victoria major est, victoria sui. Vicistis Britannos Batavi, & in Britannis de toto terranum orbe quasi triumphatis: vicistis jam ante Monasteriensem Præsulem, vicistis Suecum, vicistis Hispanum: sed toties vosmet ipsi vincitis, quoties subjectis parcitis, & superbos debellatis.

DIXI.

